

INSTITUTIONES
JURIS
CANONICI.

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

Quatuor Partibus distributæ:

AUCTORE

FRANCISCO MARIA
GASPARRO
ROMANO,

In Altnæ Urbis Archigymnasio ejusdem Juris
publico Professore.

ADDITIS INDICIBUS NECESSARIIS.

Del Cons.^{orio} Carolino Ven.^a l.^a n.^o 7.



VENETIIS, MDCCLV.

Apud BARTHOLAMÆUM BARONCHELLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

AD LECTOREM.



*Um Anno hoc litterario , Lector humanis-
sime , fuisset mihi demandata provincia
Divinae Censurae , seu Canonicae , quas
vocant , Institutionum , ornatissimae Juen-
tuti ad Urbis Archigymnasium confluenti , pro mo-
dulo meo tradendarum , illas sic plane confeci , ut
nunc typis mandatas , tuos ob oculos pono . Id
unum te tibi persuadere velim , me non ideo incu-
riae reum esse , quod in hoc opere , quaedam pau-
ca , quae Canonici Juris sacri Codices complectuntur ,
nec quidem a limine salutaverim ; Veritus enim fui
vehementer , ne in alienam , ut ajunt , messem fal-
cem immitterem ; cum studiorum ratio , & Lycei no-
stri usus ferat , ut quae quoquo modo ad Civilem ,
vel Criminalem Jurisprudentiam spectant , distincto-
rum Interpretum tractationibus committantur . Vale.*





PARS PRIMA

TITULUS PRIMUS

De Jure Personarum.

1 **D**uo sunt genera Personarum: unum Laicorum, alterum Clericorum. Clerici ita dicuntur a verbo græco *Cleros*, quod latine *sortem* significat; veluti in sortem, & partem Domini vocati: cum econtra Laici ita appellantur a græca pariter voce *Laos*, quæ latine *Populum* sonat, *can. duo sunt* 12. q. 1.

2 Clericorum divisio (de quibus nobis specialiter est agendum, ut illis cognitis; juxta regulam contrariorum, etiam Laicos dignoscamus) multiplex est; satius tamen erit singulas ejus species intueri in distinctis, & separatis titulis inferius ponendis, ne sub primo tractationis limine obscurus fiam.

3 Sciendum nunc primo *Fæminam* esse incapacem clericatus, ratione sexus ex divina institutione impediens, *gloss. in canon. Diaconissam* 27. q. 1. in verb. *ordinari*.

4 Nec obstat dictus text. in *can. Diaconissam*: ceterique, qui adduci possent ex veteribus canonibus, vel Conciliis deprompti; ex quibus constat plures ex fæminis nunc vocari Diaconissas, nunc Subdiaconissas, modo Presbyteras, & modo Episcopas.

5 Non enim unquam dici poterit eas
Instit. Jur. Canon. Tom. II.

ordinis fuisse capaces, vel characteris clericalis. Presbyteræ enim, vel dicebantur antiquitus viduæ seniores, quæ ob ætatem aliis præerant, prout accipiuntur in *Concilio Laodiceo. can. ultimo*, vel eo quia, viris suis in Presbyteros electis, ipsæ interim ab iis separatæ vitam cœlibem agebant, ut liquet ex *Conc. Turonensi secundo can. 20.* sicque dicebantur Episcopæ, quarum viri fuerant ad Episcopatum promoti; & subdiaconissæ, quarum viri fuerant subdiaconatus Ordine insigniti, ut ex dicto *Concilio Turonensi. loco cit. & can. 44.* seu etiam Diaconissæ dicebantur tempore Apostolorum, quæ præerant Ecclesiæ Januis, per quas solæ mulieres ingrediebantur, illique præsto erant in lavacris, visitationibus, laboribus &c. & de facto eas inter laicas sacrosancta Nicæna Synodus connumeravit *can. 19.*

Quod si secundo quæras: An Heremaphroditus hoc est utroque sexu donatus, Clericatu donari possit?

Respondeo cum distinctione. Velenim in ipso prævalet sexus masculinus, vel prævalet femininus, vel est paritas in utroque sexu. Si prævalet femininus, vel adest paritas in utroque sexu, ad clericatum promoveri nequit; quia

A in